


II.

Ritterstand, Palatinat
und Titel eines kaiserl. Hofdieners
für Gottfried Enkefort,

(Neffen des Kardinalbischofes zu Utrecht Wilhelm v. Enkefort)
Adelstand mit dem Ehrenworte „von“, Wappenbesserung,
kaiserlicher Schutz und rote Wachsfreiheit, dann Frei-
sitzrecht für ihn und seine sämtliche Deszendenz.

Bologna, 24. Febr. 1530.



Carolus Quintus etc.

Spectabili nostro et Imperii sacri fideli dilecto

Godefrido de Enkefort,

Reverendissimi in Christo patris Domini **Guilielmi de Enkefort**, Sacrae Romanae Ecclesiae Sanctorum Joannis et Pauli, presbiteri Communitatis Derthusensis Episcopi Trajectensis, amici nostri charissimi, **Nepoti ex sorore**, Sacri Lateranensis palatii aulaeque nostrae et Imperialis consistorii **Comiti et equiti aurato** gratiam nostram Caesaream et omne bonum.

Divina providentia ad culmen sacri Romani Imperii evecti in eo augendo et decorando totos mentis nostrae affectus dirigimus, quo et tantae dignitatis excellentiam nobis Dei munere creditam legitime administrantes debitam laudem et gloriam consequamur, quam non plus nanciscimur continuis victoriis et labore bellico, populos et nationes eidem Sacro Romano Imperio adjicientes, quam si de eo benemeritos, nobisque affectos et devotos juxta merita et virtutem eorundem ad condecens dignitates et premia omni studio promovere curemus, quo et ipsi virtutum suarum premia consequantur et ceteri eorum exemplo ad virtutes ipsas ca-

pescendas et devotione nostri et ejusdem Romani Imperii excitentur et instigentur et gratiam nostram uberam consequuturi.

Attendentes igitur preclaras animi tui dotes et virtutes, quibus te preditum esse cognovimus, nec non tuum erga nos et idem Sacrum Romanum Imperium singulare studium accedente etiam consideratione Reverendissimi Domini Cardinalis Derthusensis prefati, cujus summae virtutes et merita nos sibi adeo devinxerunt, ut vel totam ejus familiam munificentia nostra dignam censeamus, motu proprio et ex certa nostra scientia ac de plenitudine nostrae Caesareae potestatis **te** praefatum **Godefridum** Sacri Lateranensis palatii aulaeque nostrae et Imperialis consistorii **Comitem** fecimus, creavimus etc.

Decernentes et hoc Imperiali statuente edicto etc. cum potestate **creandi Notarios, legittimandi bastardos** cum derogatione legum **Adoptandi, emancipandi, servos manumittendi, veniam aetatis concedendi** etc. et porro, ut virtutibus, quibus personam tuam decoratam esse cognovimus, digna premia adferamus, **te** praefatum **Godefridum** ac **filios tuos et descendentes utriusque sexus naturales et legitimos** auctoritate nostra Romana Imperiali ex certa scientia, motu proprio, animo deliberato sanoque principum, procerum et aliorum nostrorum et Imperii Sacri fidelium dilectorum accedente consilio **Nobiles** fecimus etc.

Et ut status hujusmodi nobilitationis vestrae luculentius clarescat, vobis in signum verae nobilitatis **insignia et arma vestra** solita, videlicet: scutum crocei sive aurei coloris, in quo tres aquilae coloris nigri, rostris apertis, linguis exertis, alis tamquam ad volandum extensis, in modum trianguli positae et in dextram scuti partem versae seu conspicientes, duae scilicet equaliter in superiori et una in inferiori parte dicti scuti emineant. Supra vero scutum galea communis, tecta phaleris et teniis vel laciniis aurei et nigri colorum

constantibus redimita, ac desuper fascia eorundem colorum contorta, et una aquila nigri coloris, alis similiter ad volandum expansis, cauda tamen et pedibus carens posita sit, quemadmodum etc., quae antiquitus deferre consuevistis et praedicto Reverendissimo patri Cardinali Domino **Guilielmo** a Caesare **Maximiliano** avo et domino nostro gloriosissimae memoriae confirmata, ac quatenus opus fuisset, de novo concessa sunt, non solum laudanda, **approbanda** ac ratificanda ac simul denuo, in quantum opus foret, concedenda, sed etiam insigni quodam decoramento, videlicet ut posthac **galea corona sit ornata, meliorare** et ornare duximus, prout etc.

Ac ut omnino nostra in te munificentia clarius elucescat, eaque ceteris ad virtutem sit exemplum inclinati tibi ob praedictas tuas singulares animi dotes ac virtutes, **te** prefatum **Godefridum** in solenni nostrae **Imperialis coronationis die**, qui erat in festo Apostoli divi Mathiae **24. mensis Februarii**, data hujus praesentis dextra nostra pro more per gladii verberationem **militem et equitem auratum** fecimus, creavimus et constituimus militaribusque fascibus ac militaris cinguli decore etc. etc.

Decernentes etc. Insuper cupientes **te** unacum illo magis etiam honorare et honoris titulo insignire, te in **familiarem et domesticum nostrum** et simul **omnia bona, possessiones et res tuas** in nostram et sacri Imperii **salvanguardiam**, tutelam, patrocinium et protectionem recepimus et assumpsimus etc.

Uterius nos concedimus etiam ex praedictis motu, scientia atque auctoritate, ut **possis et valeas, quacunque volueris civitates, terras, vicos, pagos, villas** per totum Romanum Imperium, Regna, provincias, principatus et dominia nostra hereditaria **inhabitare** ac ex illis, quam et quotiescunque placuerit, **remigrare et redire** cum **omni familia tua immunis a contributionibus**, exactionibus tributi, custodiae, excubiarum militiae, Consulatus, Magistratus

et cujuscunque alterius functionis tam realis quam personalis onere, sed ita tamen, ut id fiat sub certa conditione et pacto honesto, quod cum illis, ubi pro tempore inhabitaveris, desuper inire debetis, utraque quod in memoratis gravaminibus **molestari seu cogi non debeas** vel **possis**, ab ipsis vel a quopiam, nisi forte possessiones seu bona urbana vel civilia in ejusmodi locis emeris, in quo quidem casu de illis jura consueta persolvere teneberis atque debebis derogantes tenore praesentium pro hac duntaxat vice **omnibus et singulis privilegiis**, francisiis et **libertatibus**, quae vel quas fortasse praedictorum regnorum, principatum, dominiorum, provinciarum, terrarum, civitatum et locorum magistratus in praesenti casu haberentur et quas tamen alias et praeterea in suo robore omnino volumus esse permansuras et duraturas, jam vero etiam **domus familiae tuae Enkefort**, ex qua tu ex parte tuae genetricis originem ducis, producta ex se virtute nunc adeo **sit illustrata**, ut etiam perpetui hominis propagationem digna videatur auctoritate nostra Imperiali tibi ex meritis tuis id exigentibus tuis **ex te legitime descendentibus in infinitum damus** et elargimur, **ut tu** et omnes modo dicti **ex te legitime descendentes** ac posteritates tuas in perpetuum **cognomine** videlicet **de Enkefort appellentur**, quod quidem cognomen tibi ac tuis descendentibus appropriatum esse decernimus, licet pater tuus ex ea familia non sit, non obstantibus quibuscumque legibus, constitutionibus, statutis ac consuetudinibus aliter disponentibus.

Ac denique tibi eidem **Godefrido** simulque **omnibus ex te legitime descendentibus** concedimus et impartimur, ut possitis et valeatis quascumque literas tam missivas quam alias **cera rubea sigillare** etc.

Mandantes etc. Neminiq̄ue omnino hominum, comunitatum, universitatum, collegiorum vel civitatum aut locorum liceat hanc nostram creationem, concessionem, indultum, immunitatem, privilegium, derogationem voluntatis, decreti et

gratiae paginam etc. etc. penam quinquaginta marcarum
auri puri et.

Datum **Bononiae** die **14. Mensis Februarii** anno
1530, Imperii nostri decimo etc.

Carolus $\frac{m}{p}$

Diese Abschrift*) stimmt mit dem im k. u. k. Haus-, Hof-
und Staatsarchive liegenden Reichsregistraturbuche Kaiser
Carls V. vom Jahre 1529 und 1530, H. 5, pagina 102 versa
eingetragenen Diplom wörtlich überein.

*) Aufbewahrt in Vogelfang.

